

Lucas Bacmeister

**ORATIO || DE DIVO || AMBROSIO || Recitata à || LVCA BACMEISTE-||RO,  
Theologiae Doctore in Aca-||demia Rostochiensi,|| Cum gradus Doctoris  
Theologiae || decerneretur,|| Reuerendo & clarissimo viro,|| D. HENRICO  
HES=||HVSIO, Superintendenti || Ecclesiae Hildesiensis,|| Die IV. Iulij.||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1594

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn169765651X>

Druck Freier  Zugang






e

3131.

Fe - 3131.





I  
I  
I  
T

ORATIO  
DE DIVO  
AMBROSIO

*Recitata à*

LVCA BACMEISTE-

RO, Theologiae Doctore in Aca-  
demia Rostochiensis,

*Cum gradus Doctoris Theologiae  
decerneretur,*

Reuerendo & clarissimo viro,

D. HENRICO HES-

HVSIO, Superintendenti

Ecclesiae Hildesienfis,

Die IV. Iulij.




ROSTOCHII,

Typis Myliandrinis, Anno M. D. XCIV.

*F. e. - 313 R.*



te  
co  
re  
m  
in  
te  
p  
ca  
bu  
de  
m  
fi  
ill  
qu  
hu  
De  
te  
pl  
mi  
3



## O R A T I O.



D<sup>o</sup> condidit Deus homines,  
& post lapsum ideo propter  
F<sup>i</sup>lium in gratiam recepit, &  
per eundem ex peccato &  
morte æterna redemit, vt æ-  
ternam sibi Ecclesiam ex genere humano  
colligeret, cui per verbum suum innotescer-  
ret, & seipsum omniaq; cœlestia bona com-  
municaret, & à qua vicissim in hac vita &  
in omni æternitate celebraretur. Sicut au-  
tem in paradiso primis parentibus sua voce  
promissionē de semine mulieris contrituro  
caput serpentis, tradidit, & arcanum omni-  
busq; angelis stupendum consilium de re-  
demptione generis humani aperuit: ita o-  
mnibus deinde temporibus hanc promiss-  
sionem à patribus & prophetis prædicari,  
illustrari & propagari voluit vt semper ali-  
qua esset Ecclesia piorum & credentium  
huic promissioni, & hac fide per grâtiâ  
Domini Iesu Christi iusticiam & salutem æ-  
ternam consequentium. Tandem vero in  
plenitudine temporis missio in carnem filio,  
misericordiam ac veritatem suam præstita  
& completa promissione ista manifestissimè

A 2

decla-



declarauit ac confirmauit Atque hoc Eu-  
angelium ipsius filij uoce promulgari, &  
inter omnes gentes ministerio Apostolorum  
spargi uoluit, ut ex illis quoque Ecclesiam  
sibi congregaret, quam gratiæ & uitæ suæ,  
ac beneficiorum filij sui faceret participem.  
Seruat ergo perpetuo hoc ministerium, ex-  
citat & missis subinde doctoribus, qui  
prædicent Euangelium de Christo, & ho-  
rum uoce efficax est, donat Spiritum San-  
ctum, illuminat & conuertit corda homi-  
num, ut plures assidue ad societatem ueræ  
Ecclesiæ ac regni Christi adducantur. Hoc  
summum Dei beneficium in his præcipue  
congressibus, in quibus doctorum Euange-  
lij publica fit renunciatio, considerandum  
est & celebrandum, ut gratiarum actio &  
precatio in pectoribus exuscitetur.

Tibi igitur omnipotens, uiuæ & æternæ  
DEVS, pater Domini nostri IESV CHRI-  
STI, conditor cœli & terræ, angelorum &  
hominum, uia cum filio tuo coæterno Do-  
mino nostro IESV CHRISTO & Spi-  
ritu S. gratias quantas mens nostra conci-  
pere potest maximas agimus, cum pro  
omnibus innumeris beneficijs, tum uero pro  
hoc summo bono, quod filium nobis dona-  
sti, & per ac propter eum æternam Eccle-  
siam inter nos quoque tibi colligis, accensa  
&

& conseruata hactenus in hisce regionibus  
pura & incorrupta Euangelij doctrina &  
excitatis continua serie multis præstantibus  
doctõibus, qui in hac quoq; Ecclesia & Aca-  
demia eandẽ doctrinam cælestẽ cæterasq;  
bonas artes Ecclesiæ & Reipub: necessarias  
fideliter & feliciter hucusque propagarunt.  
Teque veris gemitibus oramus, vt & dein-  
ceps nostri miseraris, serues inter nos sin-  
cerum verbum tuum, nec lucem doctrinæ  
extingui sinas, des salutare & idoneos do-  
ctores, eosq; Spiritu tuo regas & confir-  
mes, vt veritatem & pacem constanti pectõ-  
re diligant, facias, vt hæc Ecclesia & Aca-  
demia sub vmbra Alarum tuarum protecta  
diu floreat, & sit velut flumen riuulis suis  
lætificans ciuitatem Dei, sicut Psalmus lo-  
quitur, hoc est, veram religionem, optima-  
rumque artium studia multis vtiliter com-  
municet, per quos regnum CHRisti inter  
alias gentes & regiones propageretur, gloria  
tua illustretur & plurimorum hominum sa-  
luti consulatur. Serues quoq; hanc Rem-  
pub. in qua hospitium Ecclesiæ tuæ multis  
iam annis esse voluisti, eiq; benedicas sicut  
Sareptæ propter hospitem Eliam. Ac de-  
nique nos omnes doceas & gubernes, vt si-  
mus & maneamus vasa gratiæ celebratura  
te in omnem æternitatem. Hæc vota omnes

vos vna mecum pie & ardentem facere non dubito.

Adducimus autem in confessum hunc vestrum splendidissimum, Illustrissime Princeps & Magnifice Domine Rector. Reuerendi, clarissimi, amplissimi & doctissimi Viri, ac Studiosi iuuenes, Virum doctrinam & virtute præstantem *M. HENRICVM HESHVSIVM* Ecclesiarum in vrbe Hildelia Antistitem, magni illius & celeberrimi cuondam Ecclesie Doctoris *TILMANNI HESHVSII* filium, & hanc urbem Rosarum patriam suam agnoscentem, vt publicum doctrinae testimonium & insignia dignissimi gradus doctorum in Theologia ipsi tribuamus.

Et quia sapienti ac graui consilio institutum est vt in huiusmodi actibus publicis orationes habeantur, quæ vt doctrinam salutarem, vel commonefactionem necessariam, vel historias præstantium virorum, qui de Ecclesia Republica & genere humano præclare meriti sunt, & illustria virtutum exempla alijs præbent, contineant, ego quoque muneris mei ratione ita postulante, & regente me Spiritu Dei, verba ad vos faciam de materia huic actui & personæ candidati huius conueniente. Digam enim de *D. Ambrosio Episcopo Mediola.*

diolanensi , & inter primitiue Ecclesie,  
post Apostolorum tempora patres & co-  
lumnas præcipuo , in quo excellens inge-  
nium, ardens veritatis studium, & comme-  
morabilis zelus pro domo Dei cum insigni  
scientia coniunctus , omnesque virtutes bo-  
ni & fidelis Episcopi , quas Apostolus in eo  
requirit, clarissime enituerunt, vt summum  
hoc Elogium ab ipso imperatore Theodo-  
sio tulerit: Solum hunc Ambrosium se  
agnoscere dignum Episcopi nomine.

Multæ etiam grauissimæ res tempore  
Ambrosij in Ecclesia Dei acciderunt, quæ  
beneficium illud diuinum in miranda con-  
seruatione Ecclesie & ministerij, & misio-  
ne fidelium doctorum, de quo initio dictum  
est, illustrent & confirmant, ideoque cognitu  
sunt dignissimæ. Et ipsa virtutum exem-  
pla in viris magnis & salutaribus Ecclesie  
aut Reipublice gubernatoribus, docent de  
Dei prouidentia & bonitate, aliosque eru-  
diunt & exuscitant ad imitationem,

Quin & nostro Domino Candidaro, cui  
DEVS magnæ & celebris Ecclesie in  
populosissima vrbe *Ἐπιτοκεν* commen-  
dauit, historia hæc Ambrosiana gratior  
haud dubie erit, quod & parentem  
habuit scientia rerum diuinarum, zelo veri-

A • tatis

ratis & iusticiæ, eximijs in dicendo & scribendo donis, vitæ innocentia morumque gravitate Ambrosio non dissimilem, & ipse in hæc exempla intuens de amplissimi officij sui partibus in timore Domini & fiducia auxilij divini diligenter ac fideliter ebeundis accuratius cogitabit. Ut ergo me summa tantum fastigia rerum sequentem, & breuiter ac senili oratione dicentem, Illustriss. Princeps, ac cæteri viri clarissimi ampliss. & doctiss. & ornatissimi Iuvenes clementer, beneuole & attente audiant, reuerenter etiam atque etiam peto.

Initio autem de patria, parentibus, & prima institutione eorum, quos celebrare volumus, dici solet. Verum de D. Ambrosij patria ambigere video scriptores, alijs Romæ, alijs in Gallia natum esse existimantibus. Qui Romæ natum arbitrantur, inde opinionem suam probare videntur, quod domum Romæ habuerit, in qua post obitum parentis, mater vidua & soror Marcellina habitauit, sicut ipse scribit Epist. 64. lib. 8. In Gallia vero qui natum sentiunt, inde sumunt coniecturam, quod pater ipsius Galliæ præfectus fuerit forte à Valentiniano primo constitutus. Nec de parentibus quinam fuerint satis constat; Paulinus qui vitam Ambrosij descripsit, sed satis ieiune,  
Ambro.

Ambrosij patrem eiusdem cum filio nominis fuisse affirmat. Alij Symmachum dictum fuisse volunt, quod in oratione de obitu fratris sui Satyri mentionem faciat viri nobilis Symmachi, qui parens Satyri fuerit, atque ita haud dubie etiam ipsius Ambrosij. Illud tamen constat, virum Illustrem, magnæque dignitatis & autoritatis apud Cæsares eius temporis ac præsidem Galliaë fuisse Ambrosij patrem. Mater quæ fuerit, incertum est, cum nominis eius nusquam ipse in scriptis suis meminerit. Quo tempore vero in hanc lucem editus sit in idem incertum est. Ex Chronographia Cæsarum conijcere licet, cum vel sub finem imperij Constantini Magni, vel aliquanto post sub Constantio Imp. natum esse.

Narrat Paulinus, infante Ambrosio in domo prætoria aliquando in cunis dormiente, subito examen apum aduolasse, & faciem atque os dormientis complevisse. Cumq; pater vna cum coniuge & filia prope deambularer, ac rei tam inusitatae spectator esset, eam pro felici omine ipsum habuisse, & nutricem abigere apes volentem prohibuisse, expectasseque portenti huius finem. At apes aliquanto post absque infantis incommodo simul in sublime ablatas auolasse. Patrem ergo in hæc verba tum erupisse.

A 5 Si

Si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit.  
Simile quiddam Plinius de Platone refert,  
in ore infantis examen apum sedisse, quo  
tunc etiam suauitatem illam prædulcis elo-  
quij Platonici portendi significatum est.  
Et res ipsa indicauit eximias illas virtutes,  
quæ in Ambrosio postea emicuerunt, impri-  
mis verò ingenij acumen, & orationis mel-  
litam suauitatem, cum singulari sententia-  
rum pondere exornatam, & sublimem qua-  
si maiestatem referentem, qua præ cæteris  
Ecclesiasticis doctoribus excelluit, hoc præ-  
sagio significatam fuisse.

Primæ ætatis seu pueritiæ Ambrosij insti-  
tutionem accuratâ fuisse, & ab ipsis incuna-  
bulis eum ad pietatem ac virtutis studium à  
parente diligenter adsuæfactum esse, non  
dubium est, vt quem portento isto motus  
magnum aliquando virum fore dixerat, ad  
res magnas à puero educaret.

Adolescentiam egit Ambrosius in studijs  
Romæ, quo vna cum matre vidua & Soro-  
re Marcellina post mortem patris concessit,  
& cum in cæteris liberalibus disciplinis  
plurimum profecit, tum præcipue artis  
Rhetoricæ & eloquentiæ studijs, quæ tum  
maxime florebant, diligentem operam na-  
uauit, & ad forum causasque agendas quo-  
tidiana exercitatione se instruxit. Vnde  
factum

factum est, ut mature ad iudicia publica accederet, & causas splendide ac cum laude peroraret, adeo ut Probus vir illustris & prætorij præfectus ingenio & facundia eius delectatus ipsum ad consilium publicum adhiberet, & in Senatorium ordinem legeret. Inde consulari dignitate ab eodem ornatus, & ex vrbe ad regendam Liguriam Æmiliamque prouincias Italiæ missus est, addito hoc mandato: Vade, age non ut Iudex sed ut Episcopus, quam vocem omniosam fuisse, aliquanto post euentus comprobauit. Fuit autem olim Liguria illa pars Italiæ in qua nunc Genua vrbs florentissima sita est, Æmilia vero pars fuit Galliæ rogatæ, in qua nunc præcipuæ vrbes sunt, Bononia, Parma & Placentia. In hac administratione cum Ambrosius iustitiam, prudentiam & industriam eximiam non solum Probo vrbs Romæ præfecto, sed ipsi etiam Imperatori Valentiniano I. probaret. Imperator ad priores prouincias Insubriam quoq; (quæ nunc Lombardia dicitur) & præfecturam Mediolanensis vrbs, quæ iam tum post Romam celeberrima fuit in Italia & Imperatorum sedes, adiunxit, eiusque gubernationi subiecit.

Eodem



Eodem tempore Mediolani Auxentius quidam Episcopum egit, Arrianam hæresin amplectens & defendens. Nam & in Occidentem hæresis ea penetrauerat sub Constantio Imperatore, eadem hæresi dolis Episcoporum & procerum quorundam in aula infecto. Is enim & Auxentium hunc ex Cappadocia vsq; Mediolanum transstulerat, expulso Dionysio viro pio & Orthodoxo, vt semina dogmatis istius in vrbe populosissima & in reliqua etiam Italia spargeret. Nec fefellit eum conatus. Nam & turbatae sunt passim Ecclesiae in Italia & Gallia Arrianis disputationibus, & multi passim à veritate & fide ad blasphemiam in filium Dei seducti sunt. Aliquot igitur Synodis Episcoporum eam ab causam coactis, Auxentius damnatus & abdicatus est. Multa de impietate & versutia eius narrant scriptores historiae Ecclesiasticae, etiam Hilarius Pictauiensis in Gallia Episcopus, qui & insidiosam confessionem Auxentij Valentiniano & Valenti Imperatoribus exhibitam recitat, eiusque latentes fraudes detegit, & hostem Christi, Sathanæ angelum & blasphemum hominem vocat. Fuit etiam ipsi Ambrosio, praesidis adhuc munus gerenti, multum negotij cum hoc Auxentio, sicut ipse refert lib. 5. Epist.

Mortuo

Mortuo igitur Auxentio , cum Valentinianus Imperator tum forte Mediolani praesens , Orthodoxum Episcopum Ecclesiae Mediolanensi praefici cuperet , coacta aliquot Episcoporum Synodo , potestatem eis facit eligendi virum idoneum , & pietate ac sapientia praestantem , cui tantum munus commenderetur. Et digna sunt memorari Imperatoris verba, quae à Theodoro recitantur : talem in solio isto Pontificali collocandum esse , cui ipsi quoque Imperij moderatores sua subdant sincere capita , cuiusque reprehensiones ( cum & ipsi homines sint , ac saepenumero delinquant ) tanquam medicinae curam libenter admittant. Interim vero dum Episcopi inter se deliberant , populus frequens in templum concurrit , & quia studijs ac voluntatibus ob religionis dissidium inter se distractus erat , turbas ciet , alijs Arrianæ sectæ praesulē , alijs sanioribus suæ religionis Episcopum exoptantibus. Re igitur ad seditionem spectante & periculo hoc animaduerso , Ambrosius , qui praefecturam vrbis administrabat , ad templum accurrit , & vt seposita contentione , studia & voluntates suas coniungant , serio hortatur. Ibi viso & audito Ambrosio subito omnium quasi diuino instinctu fit consensus , & Ambrosium sibi Episco-

Episcopum præfici vno ore conclamant.  
Neque enim aliter vniri populum aut ad  
fidei concordiam redigi posse.

Esi autem vehementer reluctaretur Am-  
brohus, cum & politicis tantum negotijs  
hactenus studuisset, nec doctrina sacra satis  
se instructum ad tantum munus iudicaret,  
& vt Carechumenus more istius temporis  
non dum baptizatus esset, tamen instante po-  
pulo, & electione ista ad Episcoporum Sy-  
nodum relata, omnes eam tanquam diui-  
nam approbarunt, Imperator quoque po-  
puli consensionem admiratus, atque hanc  
electionem Dei magis quam hominum esse  
statuens, sua autoritate eam confirmauit, &  
Episcopis præsentibus, vt Ambrosium ba-  
puzarent ac sacris initiarent, mandauit, ad-  
dens hanc memorabilem vocem, se omni-  
potenti Deo gratias agere, quod huic viro,  
qui a se corpora hactenus commissa habuif-  
set, ipse animarum curam tradidisset, &  
suffragium suum approbasset. Probus et-  
iam vrbs Romæ præfectus cognita Ambro-  
sij ad Episcopatum institutione, vehementer  
lætatus est; quod verba sua quibus eum in  
prouinciam proficiscentem dimiserat, vati-  
dica fuisse & diuinum habuisse effectum vi-  
deret. Factum id esse scribit Eusebius in  
Chronico Anno à nato Christo 378.

Est

Est quidem hæc Ambrosij ex præsi-  
de in Episcopum , ex iudicio forensi ad  
sacerdotium Ecclesiasticum electio mira  
ac rarissimi exempli , sed diuina omnino  
prouidentia gubernata , quæ docet , filium  
Dei sedentem ad dexteram patris suo consi-  
lio dare dona hominibus , eosque excitare  
& mittere doctores , quos ipse ad opus ædi-  
ficationis Ecclesiæ suæ idoneos iudicat , cu-  
iuscunque ordinis sint aut conditionis.  
Ira Dauidem ex caulis ouium , Esaiam ex  
aula regia , Amos ex armentorum gregi-  
bus , Ieremiam ex schola sacerdotum , Eze-  
chielem & Danielem ex turba exulum ad  
munus propheticum vocat , piscatores ex  
nauibus , publicanos ex telonia ad legatio-  
nem vocat Apostolicam , Nectarium ex cu-  
ria & confessu senatorio eductum constituit  
Episcopum Constantinopolitanum , eo ipso  
tempore , quo synodus illa celebris Constan-  
tinopolitana 150. Episcoporum iussu Theo-  
dosij I. Imperatoris contra Macedonium  
& *πρόδουτομάχου* celebrata est , multi-  
que inter hos locum illum expetebant.  
Nectarius vero senator , nec dum sacris my-  
sterijs initiatus mirabili Dei prouidentia à  
Theodosio omnibus cæteris , quantumuis  
doctrina & virtute præstantibus antefertur.  
simili fere cum Ambrosij electione exemplo.

Quod

Est

Quod & ipse Ambrosius in quadam Epistola allegat, suamque hinc vocationem confirmat. Quam, inquit, resistebam ne ordinarer. Sed non valuit præscriptio, prævaluit impressio. Tamen ordinationem meam Occidentales Episcopi iudicio, Orientales etiam exemplo probarunt. Intelligit enim haud dubie exemplum illud Nestorij, quod paucis annis post contigit in Oriente.

Sed redeamus ad historiam Ambrosij. Cum hoc, quo diximus modo, ad Episcopatum Mediolanensem Deo volente & gubernante peruenisset, statim quæ ad officium boni & fidelis Episcopi pertinere Paulus docet accuratè consideravit, summoque studio ac feruente spiritu agenda sibi præposuit. Sicut igitur Apostolus ante omnia vult Episcopum esse Dei dispensatorem, & tenacem eius, qui secundum doctrinam est fidelis sermonis, vt potens sit etiam exhortari per doctrinam sanam & contradicentes convincere: ita Ambrosius initio gubernationis suæ Ecclesiasticæ Arrianis Auxentij antecessoris sui sectatoribus acerrimè se opposuit, & in hanc præcipue curam incubuit, vt doctrinæ ac confessionis sinceræ integritas non solum Mediolani, sed in tota quoque Italia & Gallia restitueretur & ab erroribus purgaretur. Qua in re docendo & scribendo

bendo plurimum profuit Ecclesiæ. Extat li-  
ber eius de fide Orthodoxa contra Arrianos,  
qui summam totius dogmatis Arriani com-  
plectitur, ac præcipua argumenta quibus  
vera filij Dei diuinitas & *ἰσοουσία* cum  
æterno Patre impugnabatur, erudite refu-  
tantur, quem statim initio Episcopatus sui  
scripsisse & edidisse apparet. Reliqui enim  
quinque libri de fide ad Gratianum Augu-  
stum, in quibus idem argumentum tracta-  
tur, aliquanto post perente Gratiano scripti  
sunt. Nec minus in cæteris doctrinæ Chri-  
stianæ articulis fideliter tradendis & propa-  
ganda veritate cœlesti, atque ædificanda  
Ecclesia eum laborasse historiæ ac scripta  
eius quæ extant restantur.

Cum verò etiam in vita inculpatū esse E-  
piscopum iubeat Paulus, ne cum alijs præ-  
dicet ipse reprobus efficiatur, & peccantes  
coram omnibus argui velit, vt cæteri timo-  
rem habeant, huic quoque præscripto con-  
formem se præstitit Ambrosius. Fuit enim  
vere typus fidelium, in sermone, in conuer-  
satione, in dilectione, in Spiritu, in fide, in  
castitate, ac memorabilis sententia eius est,  
Epistola § 2. Debet præponderare vita Sa-  
cerdotis, sicut præponderat gratia. Nam  
qui alios præceptis suis ligat, debet ipse le-  
gitima præcepta in se custodire. Hinc &

B inter

inter virtutes eius eximias commendatur  
disciplinæ seueritas, & candor ac libertas in  
taxandis peccatis absque personarum re-  
spectu. Cum enim sciret se iam gregis Chri-  
sti Pastorem factum, & vigilandum sibi esse  
pro animabus auditorum suorum, tanquam  
rationem reddituro archiepiscopo suo Chri-  
sto, & animū & vocem assumpto Episcopatu  
mutauit, Spiritu veritatis & roboris eum in-  
struente & confirmante. Itaque paucis tan-  
tum diebus elapsis post electionem magna  
animi excelitate & cum summa *παρρησία*  
ipsum quoq; Imperatorem Valentinianum,  
cuius auctoritate ad præsulatum Ecclesiæ  
peruenerat, reprehendere ausus est, quod à  
prætoribus & aulicis ipsius quædam ini-  
quius gererentur. Imperator vero non of-  
fensus, sed admirans potius hanc libertatem  
placide respondit. Non fuit vnquam mihi  
ignota hæc tua libertas, quam cum habe-  
rem exploratam, non modo non obstiti,  
sed etiam adiuui electionem tuam. Proin-  
de affer medicinam delictis animarum no-  
strarum secundum præscripta diuinarum  
legum.

Eodem modo cum Theodosius Impe-  
rator mandatum dedisset Episcopo vrbis  
cuiusdam in Oriente, vt Synagogam Iu-  
dæorum à populo eius permissu incensam  
rest.

restitueret, idque relatum esset Ambrosio,  
Epistola grauius scripta Impera orem re-  
prehendit, indignum esse dicens Christiano  
Imperatore, blasphemorum in Christum  
Iudaeorum patrocinium suscipere, & Syna-  
gogam eis reddere, quæ sit perfidiæ locus,  
impietatis domus, amentia receptaculum,  
cum DEVS ipse templum eorum deleri vo-  
luerit. Suntque in eadem Epistola hæ me-  
morabiles sententiæ, & principibus & sa-  
cerdotibus diligenter notandæ. Neq; im-  
periale est libertatem dicendi negare, neq;  
facerdotale quod sentiat non dicere. Nihil  
enim in vobis imperatoribus tam populare  
& tam amabile est, quam libertatem etiam  
in ijs diligere, qui obsequio militiae vobis  
subditi sunt. Siquidem hoc interest inter  
bonos & malos principes, quod boni liber-  
tatem amant, seruitutem improbi. Nihil  
etiam in sacerdote tam periculosum apud  
DEVM, tam turpe apud homines, quam  
quod sentiat non libere denunciare.

Sed imprimis illa animi magnitudo ac  
constantia à Spiritu S. profecta, qua in eun-  
dem Theodosium non Epistola sed viua  
voce coram aliquanto post vsus est Ambro-  
sius, digna est admiratione & commendatio-  
ne. Cum enim Theodosius adhuc in Italia  
esset, victo Maximo, qui imperium rapuerat



& Gratianum optimum Imperatorem occi-  
derat, in vrbe Macedoniae Theſſalonica per  
ſeditionem multitudinis Buthericius præfe-  
ctus & alij magiſtratus ſaxis obruti, contu-  
melioſeque tractati & interfecti ſunt. Quo  
accepto nuncio, Imperator vehementi ira  
accenſus, aliquot militum cohortes eo miſit,  
ac populum ad ludos Circenſes inuitatum  
eis obiecit, vt ſine diſcrimine ſontium & in-  
nocentium in quosuis graſſarentur, vindi-  
ctam non crimini dans ſed iracundiæ. Atq;  
ira ſeptem millia hominum miſerrime iugu-  
lata ſunt. Ambroſius hac lamentabili ca-  
lamitate cognita, & iniuſtam hanc crudeli-  
tatem eſſe ſentiens, quod non inquiſitis ac  
iuſto iudicio condemnatis reis promiſcua  
cæde in omnes ſæuitum eſſet, primum Epi-  
ſtola data ad Theodoſium, comiter ſimul &  
grauiter eum hortatur, vt agnoſcat tantum  
delictum & agat pœnitentiam, & deinceps  
vehementes illos iracundiæ imperus coër-  
ceat. Habes, inquit, imperator Auguſte,  
fidei ſtadium, habes Dei timorem: Sed  
habes ſimul naturæ impetum, quem ſi quis  
lenire velit, cito vertes ad miſericordiam, ſi  
quis ſtimulet, in maius exuſcitas, vt eum  
reuocare vix poſſis. Non pudeat te facere  
quod Dauid fecit. Noli impatienter ferre  
ſi dicatur tibi. Tu feciſti illud, quod Dauid  
Regi

*Epistola A-  
mbrosij ad  
Theodoſium*

Regi à Propheta dictum est. Si enim sedulo hoc audieris & dixeris: Peccavi Domino, dicetur & tibi, quoniam pœnitet, dimittit tibi Dominus peccatum tuum & non morieris.

Cum vero hanc Epistolicam, vt ita dicam, admonitionem minus æstimari videret Ambrosius, aulicis ministris & consiliarijs factum Imperatoris excusantibus, & Episcopo in eiusmodi politicis negotijs nihil iuris esse haud dubie clamantibus, maiori zelo vtendum sibi esse iudicauit, vt lucraretur Imperatorem maximo peccato inuolutum, & de salute animæ periclitantem, & vt exemplum disciplinæ Ecclesiasticæ ac clavis ligantis in ipsam Imperatoriam maiestatem statueret.

Volenti igitur Imperatori in templum diuinum intrare Mediolani, ac cœna Domini vti, occurrit Ambrosius, & his verbis eum intrepide alloquitur. Videris nescire, Imperator, quanta sit atrocitas à te patratae cædis. Neq; etiam ira sedata, aut ratio, aut potestas imperij patitur à te peccatum agnosci. Scire autem debes, te & hominem mortalem & puluerem esse, & sub hac regia purpura imbecile corpus regi. Tu paucis imperas, vnus autem ille Dominus dominantium & toti huic vniuersitati & tibi impetrat.

*Oratio  
Ambrosij  
Theodori*

lis intueberis huius tanti Domini ædem,  
quibus pedibus pavementum hoc sacrum  
calcabis? Istas ne adhuc stillantes iniustæ  
cædis eruore manus extendes, vt sanctiss.  
Domini corpus prehendas? vel quomodo  
pretiosum illum sanguinem O R I tuo ad-  
mouebis, qui tantum effuderis sanguinis hu-  
mani dictato furentis animi? Quapropter  
discede, neque priorem iniquitatem hac alia  
augere velis, neque vinculum deirectes,  
quod ipse omnium Dominus tibi imponit.  
Theodosius his auditis cum gemitu ac la-  
chrymis in regiam reuertitur. Post octo de-  
nique menses cum natalitium Christi festum  
celebrandum esset, imperator ad templum  
reuersus est, & reuerenter petiuit absolutio-  
nem, quam & pronunciauit ei Ambrosius ac  
templum ingressus humique stratus mul-  
tis cum lachrymis peccatum suum deplora-  
uit, subinde repetens Dapidis vocem ex Ps.  
119. Adhæsit pavimento anima mea, viuifica  
me secundum verbum tuum. Ne tamen  
deinceps Imperator iudicium iracundiæ  
non rationi permitteret in pœnis delin-  
quentium, voluntate Ambrosij legem tulit,  
vt in tricesimum diem sententiarum capi-  
talium executio differretur, vt ne qui rei  
prædominante ira, nec satis inquisitis causis  
interficerentur. Hanc historiam tanti fe-  
cerunt

cerunt scriptores Ecclesiastici eius temporis ut nemo eam præterierit, & Thodoræus præcipuè prolixè illam commemorat, addito hoc insigni Epiphonemate. Talitantaque virtute & Pontifex & Imperator erant illustres. Nam utrumque ego admiror, illius quidem libertatem, huius vero obedientiam, itemque feruoris flammam illius, & huius fidei puritatem.

Verum omisis cæteris, quæ ad commendandas eximias virtutes Ambrosij, cum in publico Episcopi officio, tum in priuata vita scriptores referunt, pauca de monumentis seu libris & doctrina eius, itemque de certaminibus ac vitæ exitu addemus. Augustinus lib. 5. confessionum, Ambrosio eloquentiam suauem, eruditam & grauem, atque ab omni assentatione & blandimentis alienissimam tribuit. Eumque ut hominem DEI, & præcipuum illius temporis Ecclesiæ doctorem ac magistrum suum, à quo & ab erroribus Manichæis ad veritatem Catholicam conuersus, & sacro baptisate initiatus est, summa veneratione coluit, & ex scriptis eius multa sæpe testimonia in arduis disputationibus citat. Erasmus vero arguram iucunditatem in scriptis Ambrosij esse sentit,

B † ac

ac plerumque totum ferè sermonem ex varijs sententiarum generibus velut ex tessellis contextum esse, quo dicendi genere & Seneca delectatus fuit. Atque extantiam quinque Tomi operum Ambrosij pleni eruditionis Theologicæ, præter eos libros qui desiderantur, vt in Psalmos, in Esaiam & alios; quorum & ipse & Augustinus interdum meminit.

Recte vero de præcipuis doctrinæ Christianæ partibus docuit, quemadmodum scripta eius testantur, Articulum de diuina essentia, quæ vna est in tribus distinctis personis, dilucidè & piè explicat in libris de fide ad Gratianum Imperatorem & de Sp. S. Liberum arbitrium in rebus Spiritualibus multis in locis reijcit. De peccato originis quod non sit ipsa hominis corrupta natura, sed corruptio & qualitas mala. Sic dicit lib. 2. de vocatione gentium. Natura quæ bona erat, qualitate facta est mala. Et ille animi motus, qui nunquam potest esse sine aliquo amore seu voluntate, non perdidit appetitum, sed mutauit affectum id recipiens desiderio quod debuit refutare iudicio. Cū igitur homo ad pietatem redit, non fit nouum signum aut noua creatura, ita vt alia in eo creetur substantia, sed eadem quæ fuerat labefactata reparatur. De Prædestinatione, de qua  
magna

magna hoc tempore est inter Theologos concertatio, hæc pia & notabilis est Ambrosij sententia, quæ & lucem huic disputationi addit, & modum præscribit, in initio lib. 2. de voca: gentium. Tria sunt, inquit, quibus in hac quæstione debet inhærer. Vnum quod profitendum est, DEVM velle omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Alterum quod dubitandum non est, ad ipsam cognitionem veritatis & perceptionem salutis, non suis quenquam meritis sed ope & opera diuinæ gratiæ peruenire. Tertium quod confitendum est, altitudinem iudiciorum DEI humanæ intelligentiæ penetrabilem esse non posse, & cur non omnes saluet, qui omnes vult saluos fieri, non oportere disquiri. DEVS quippe apud quem non est iniquitas, & cuius vniuersæ viæ misericordia & veritas, omnium hominum bonus conditor, iustus est ordinator, neminem indebite damnans, neminem debite liberans, nostra plectens cum punit noxios, sua tribuens cum facit iustos, vt obstruatur os loquentium iniqua, & iustificetur DEVS in sermonibus suis, & vincat cum iudicatur. Nec damnati iusta querimonia, nec iustificati verax est arrogantia, si vel ille dicat non meruisse se pœnam, vel iste asserat meruisse se gratiam.

B 5 Sed

Sed imprimis articulum de iustificatio-  
ne hominis peccatoris coram Deo per so-  
lam fidem in promissionem gratiæ & meri-  
tum Christi, absque operibus legis insigni-  
ter multis in locis Ambrosius explicat, &  
phrasio sola fide crebro vrget, præcipuæ  
in commentarijs in Epistolas Pauli ad Ro-  
man. & Galat. & 1. Corinth. 1. hanc au-  
ream sententiam ponit. Hoc constitutum  
est a Deo, vt qui credit in Christum, saluus  
sit sine opere, sola fide gratis accipiens re-  
missionem peccatorum. Incidit autem  
*πλιτδυρ* Ambrosij in perturbatissimum  
Imperij & Ecclesiæ statum. Nam Im-  
perium passim in oriente & occidente  
barbararum gentium infusione dilacera-  
batur, & in Italia ac Gallia per Tyrannos  
Maximum & Eugenium, qui Imperium  
rapere conati sunt, horrenda bella ciuilia  
excitata sunt, accideruntque crebræ & lu-  
ctuosæ mutationes, morte Valentiniani ac  
cæde filiorum eius Gratiani & Valentiniani  
secundi, quorum ille per dolum a duce  
Maximi Tyranni Andragatio prope Lug-  
dunum Galliæ interfestus est, hic ab Ar-  
bogasto Eugenij Tyranni duce strangula-  
tus est, eodem tempore quo Ambrosius  
ab ipso in Galliam vocatus in itinere  
erat.

Suc.

Successit mors præstantissimi Imperatoris Theodosij primi, qui maximas res maximeque salutare Ecclesiæ & Reipublicæ gesserat, cuius mortem quantopere doluerit Ambrosius, ex oratione eius finem de obitu Theodosij apparet. Dilexi, inquit, virum misericordem, humilem imperio, corde puro & pectore mansueto præditum. Dilexi virum qui magis arguentem quam adulantem probaret. Dilexi virum qui me in supremis suis ultimo spiritu requirebat. Dilexi virum, qui cum iam corpore solueretur, magis de statu Ecclesiarum, quam de suis periculis angebatur. Dilexi ergo fateor, & ideo dolorem meum ex obitu eius intimo viscere dolui, &c. Subsecutæ sunt etiam mortem Theodosij multæ in Imperio calamitates, cum in Italia, Pannonia, Hispania, Gothi, Vandali & Hunni magnas vastationes facerent, quarum spectator aliquo modo in senectâ sua Ambrosius fuit.

In Ecclesia iisdem temporibus grassata est impietas Arriana, maxime in Italia Auxentio antecessore Ambrosij, vt supra dictum est, autore præcipuo.

Magna



Magna igitur certamina cum Arrianis fuere  
Ambrosio, qui magno Spiritu orthodoxam  
veritatem de *ἰμωσία* æterni filij DEI cum  
æterno Patre & Symbolum Nicenum pro-  
pugnabat. Ideoq; Iustina Imperatrix Va-  
lentiniani secundi mater fauens Arrianis,  
cum filius adolescens esset, Ambrosium  
Mediolano eijcere, & in exilium pellere  
conata est. Sed resistente populo, & in ipso  
harum turbarum articulo nunciata morte  
Gratiani Imp. tum quidem quieuit Iustina,  
sed aliquanto post tribunos & milites Go-  
thicos mittit, qui nomine Valentiniani Imp.  
iubent Ambrosium vnum ex maioribus tem-  
plis intra urbem Arrianis tradere. Verum  
hic quoque inuictum animi robur ostendit,  
& se, quæ diuina essent, imperatoriæ pote-  
stati subijcere non posse, nec domum filij  
Dei hostibus eius tradere. Malle se animam  
quam fidem amittere, nec discessurum ex  
templo, sed ibidem omnes casus expectatu-  
rum, sicut hanc historiam ipse commemo-  
rat Epist. 33. ad Marcellinam sororem.

Cum alijs quoque hæreticis, item cum  
gentilibus magna ipsi fuerunt certamina, vt  
ex scriptis eius apparet. Nam Symmachus  
urbis Romæ præfectus, vir clarissimus, ma-  
gnæque dignitatis & eloquentiæ, à Valen-  
tiniano II, Imp. quem adolescentem mater  
Iustina

Iustina in Arriani quoque dogmatis societatem pertraxerat, restitutionem cultus Deorum Ethnicorum, & ut templa idolorum Romæ & alibi per Theodosium & Gratianum clausa, rursus aperirentur, nomine Senatus & populi Romani graui & erudita oratione petiuit, diuturnitatem & felicitatem Imperij Romani cultui Deorum tribuens, cunctaq; Romani generis incommoda mutationi religionis istius in Christianam imputans. Contra hanc Symmachi petitionem Ambrosius Imperatorem grauissimè monuit, ne morem gereret hac in parte Romanis aut Symmacho, atq; ita in offensionem altissimi & veri Dei incurreret, argumenta etiam a Symmacho allata prolixè solideque refutauit. Hoc modo ipsis quoque Romnais alijsque gentilibus maximè exosus factus est Ambrosius, & insidias ac persecutiones varias ab his sustinuit. Recte ergo Ruffinus Ambrosium Ecclesiæ eius temporis murum & turrim validissimam vndique oppugnatam sed non expugnatam vocat, quia Spiritu & virtute Eliæ repletus fuit.

Tandem cum certamen bonum decertasset, cursum consummasset, fidem seruasset, euocare hunc fidelem seruum suum ex valle ærumnarum Deo placuit, eumq; corona iusticiæ

iusticiæ & gloriæ in cœlesti vita donare. Morbo igitur correptus cum ab amicis multisque viris nobilibus eum inuisentibus rogaretur, vt a Domino prorogationem vitæ peteret, respondit. Non ita inter vos vixi, vt me viuere pudeat, nec timeo mori, quoniam bonum Dominum habemus. Quam ipsius vocem, vt piam maximè & Cygneam veluti cantionem valde commendat Augustinus. Scilico etiam vir illustris, quem Theodosius Imperator filio Honorio adolescenti tutorem & ducem præcipuum in occidentis Imperio adiunxerat, morte eius audita dixisse fertur: Tanto viro decedente interitum imminere Italiæ. Nec multis annis post veritatem huius ominis res ipsa comprobauit. Quo vero ætatis anno obierit non constat.

Recitavi compendio historiam Ambrosij quæ & iucunda est, & de multis rebus cum cæteros pios, tum imprimis Ecclesiæ doctores & Episcopos monet, & testatur diuinitus regi & seruari Ecclesiam ac ministerium Euangelij, etiamsi mundus & orcus fremant, veram enim & inuictam manere oportet cum ipso filio Dei promissionem eius. Ego super me petram fundabo Ecclesiam meam & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Eundem igitur arden-

presentibus votis oro, vt & in his regionibus  
Saxonicis Ecclesiam sibi perpetuo colligat,  
eamque sub vmbra manus suæ protegat, ac  
salutares quas largitus est doctores in veri-  
tate & concordia seruet, & vna cum hoc  
domino Candidato ad imitandum Ambrosij  
pietatem, fidem, zelum, constantiam aliasque  
virtutes Spiritu suo S. inflammet, vt  
plurima Deo grata & Ecclesiæ sa-  
lutaria dicant, doceant &  
faciant.

D I X I.



DE-

DECANVS ET COL-  
LEGIVM THEOLOGI-  
CVM IN ACADEMIA  
ROSTOCHIENSI.

**R**ecoluimus hesternā die me-  
moriam congressus Ma-  
riae, Elisabeth, Zachariae & a-  
liorum eius aetatis piorum, ve-  
lut Synodum Noui Testamen-  
ti primam celebrantium, in  
qua articulus de exhibitō iux-  
ta promissiones patribus da-  
tas & concepto Messia pro-  
mulgatus est. Vt autem pias  
illas matronas, ad colloquium  
de Messia Salvatore, propter  
quem solum ecclesiam ab initio  
colligi, & se à Deo recipi, exau-  
diri, & vita ac salute aeterna  
donari sciebant, conuenientes,  
&

L- de doctrina ecclesie pie conferē-  
l- tes; grassantibus in Iudaea cru-  
deliss. militibus, Herodianis,  
me- Parthicis, Ægyptijs, Roma-  
la- nis, seruauit & manu sua pro-  
a- texit Deus: ita nostros cœtus,  
ue- donec ad pias collationes et col-  
en- loquia de Christo, & propaga-  
in- tionem doctrinae Christi, in tem-  
ix- plis & scholis conueniemus, cle-  
da- menter tuebitur & defendet:  
pro- Et laboribus docendi, & Te-  
ias- stimonia idoneis ad docendum  
um- tribuendi, nostris benedicet,  
ter- ut collectioni ecclesie Dei, per  
itio- ministerium docendi in templis  
au- ac scholis, utiliter seruiant. Si-  
rna- mul autem gratias Filio Dei,  
tes, summo ecclesie Doctori, Capiti  
& C &

Et Sacerdoti agamus, quod in  
his etiam regionibus, aeternam  
sibi ecclesiam per vocem Euan-  
gelij colligit, Et ministeriū do-  
cendi seruat, Et dat dona ho-  
minibus, Pastores Et Doctores  
salutares, quos ex agmine do-  
centium ac discipulorum sumit,  
ac eorū voce Et ministerio ipse  
efficax est. Eundemq; ardenti-  
bus votis precemur, ut dein-  
ceps quoq; aeternam hereditatē  
sibi ex his gētibus Saxonis col-  
ligat, Et lucem Euangelij, im-  
mensa bonitate nobis tributā,  
seruet, Et custodiat honestas  
harum regionum politias, quae  
hospitia ecclesiae Et pijs studijs  
benigna praebent. Inter quas  
Hil-

*Hildesiensem Politiam Dei be-  
neficio, nunc florens domiciliū  
& templum Dei ac redempto-  
ris nostri Iesu Christi esse mani-  
festum est: in qua, Verbum  
Christi opulentè habitat, & lu-  
men vera de Christo doctrina,  
quod & vera Agnitionis et In-  
uocationis Dei norma, & con-  
siliorū actionumq; vita omnium  
regula, et omnis firma consola-  
tionis ac aeternae salutis thesau-  
rus est; clarissimè lucet, & in  
publicis ecclesiarum congressi-  
bus communi voce Deus inuo-  
catur et celebratur. Vigent in  
Rep. honestae leges, iudicia, be-  
nè morata ciuium disciplina,  
artes vita necessaria, & for-  
C 2 titu-*



titudo ad Iustitia & libertatis  
defensionem. Ac olim in Colle-  
gio etiam Canonorum, studia  
literarum colebantur, ut Ot-  
tonem II. Ottonis primi Imp.  
laudatissimi filium, adolescen-  
tem didicisse literas ac ecclesia  
doctrinam in Collegio Hildesi-  
ensi legimus. Ibi & in Latina  
lingua exercebantur iuniores,  
& simul adsuesiebant ad exer-  
citia lectionum, et ad precatio-  
nes in templis. Nunc cum alia  
Canonici agant: vera Religio-  
nis & studiorum doctrina curam,  
pius & sapiens Senatus muni-  
ficè suscipit. Talium Urbium  
Gubernatoribus non deesse no-  
stra officia debent.

Cum

Cum igitur honestissimus ur-  
bis Hildesienſis Senatus, eccle-  
ſia ſua Superintendentem, Vi-  
rum honeſtum & eruditum, M.  
Henricum Heſhuſium ad nos  
miſerit, ut Collegij noſtri Te-  
ſtimonio publico ornaretur:  
Deo volente, craſtina die 4.  
Iulij, eum Doctorem Theologia  
renunciabimus. Nam & mo-  
res honeſti & graues ſunt, &  
doctrinam Eccleſia Dei recte  
didicit, & cum multis iam an-  
nos in miniſterio eccleſia alios  
docuerit, & a nobis priuati-  
& publice auditus ſit: oſtendit  
ſe amplecti incorruptam Euan-  
gelij doctrinam, & tueri pium  
conſenſum eccleſiarum in Saxo-  
C 3      nia,

nia, qui in communi Confessione  
nostra Augustana, et declara-  
tione controuersiarum in  
Concordia libro edita, expref-  
sus est.

Ad hanc renunciationem, ut  
Magn. Dn. Rector, & omnes  
lectores & auditores huius A-  
cademia conueniant, amanter  
petimus: Ut ostendant se ama-  
re & venerari ministerium  
Euangelicum, & studia mini-  
sterio necessaria, & beneuolen-  
tiam erga nos suam declarent.  
Deinde, ut communi precatio-  
ne & ardentibus votis nobi-  
scum coniunctis, à filio Dei pe-  
tant, ut cimba sua in tantis  
fluctibus opem ferat, & eccle-  
siam

siam in his regionibus seruet,  
ac nos omnes, & hunc Henri-  
cum Heshusium doceat & gu-  
bernet, & faciat nos vasa mi-  
sericordiae & organa saluta-  
ria, & tribuat harum regio-  
num ecclesijs piam & aeternam  
concordiam. Verè enim adfir-  
mare possumus, nos maximè o-  
ptare, et ut consensus sit perpe-  
tuus harum Ecclesiarũ de do-  
ctrina, et ut voluntates docen-  
tiũ sint coniuncta & mutua bene-  
volentia, & verè omnes in Deo  
sint unum, doceant unum, fate-  
antur & unum. Postremò, me-  
moria Reu. et Cl. Viri, D. Ti-  
lemanni Heshusij, nos in hac  
Academia, officium hoc debere  
cogi-

cogitemus. Qui cū excellenti ingenio, doctrina, & eloquentia ornatus esset; per hanc vallem lachrymarum transiens, in hac etiam ecclesia & Schola aliquantisper facundissimè docendo, & in multis alijs vrbibus & Academijs, fontes fodit, vt verè de eo usurpári possit quod in Psalmo sequitur, Certè Benedictionibus coronabitur Doctor, & Generationi rectorum Benedicetur. Nam præter cætera Dei benedictentis dona, hoc insigni munere à Deo ornatus est, quòd aliquot filios, ingenio, pietate, & literis exultos reliquit, qui paternis vestigijs ingredienti, ecclesiæ Dei in ministerio docendi vtiliter seruiūt. Nihil autem optabilius est, Basilio teste, nihil dulcius, sanis parentibus, & Christum amantibus, quàm habere filios, quorum virtus Ecclesiæ Dei & probetur & proficit.

Datum postridie Visitationis  
Mariæ. Anno 1594.














e  
n  
e  
t  
l  
o  
n  
r  
t  
c  
d  
n  
I  
in  
li  
te  
vt  
el  
p  
q



Qui cum excellenti inge-  
, & eloquentia ornatus  
nc vallem lachrymarum  
ac etiam ecclesia & Scho-  
er facundissimè docendo,  
alijs vrbibus & Acade-  
dit, vt verè de eo vsurpa-  
in Psalmo sequitur, Cer-  
nibus coronabitur Do-  
erationi rectorum Bene-  
n præter cætera Dei be-  
na, hoc insigni munere à  
est, quòd aliquot filios,  
te, & literis excultos re-  
ernis vestigijs ingredien-  
dei in ministerio docendi  
Nihil autem optabilius  
este, nihil dulcius, sanis  
& Christum amantibus,  
filios, quorum virtus  
& probetur & proficit.  
ostidie Visitationis  
. Anno 1594.

